

Q. K. 375, 4.

X 1903 776  
EXERCITATIO  
HISTORICA,

II n  
5252

de  
ARMENIACIS,

vulgò,  
den

Armen Fecten/

quam  
sub PRÆSIDIO

JO. GEORGII LAYRIZ,

Illustris, quod Baruthi Francorum  
florete, Collegii CHRISTIAN-ERNESTINI,  
Historiæ Sacræ & Civilis Professoris  
Publici,

ad diem XXI Maji,

A. O. R.


clo lbc LXXVII,

H. L. Q. C.

benivole Eruditorum ventilationi expositam,  
defendendam suscipiet

Jo. Christophorus Layriz/ Curiensis,  
AUCTOR.

Prelo GEBHARDIANO.





EXERCITATIO  
HISTORICA

ARMENIACA

SEPTIMA

IO. GEORGII BAYRIS.

Historiae, quae de Armeniis

hactenus collectae sunt, et

hucusque in unum collectae

A. O. R.

et hoc anno

H. L. G.

in typographia

Jo. Christophori Beyer, Curatoris

AUCTOR

Paulus Gerhardus

pe  
A  
ob  
au  
L  
G  
m  
C  
p  
p  
n  
ti  
o  
  
t  
i  
e  
t  
f  
g  
a  
c  
t  
t  
t





# Q. D. B. V.

## Proëmium.



Dpositè certè, & ex Phœbi, ut ajunt, tripode dictum: *mundum hunc nostrum ex asse representare scenam, in qua semper una agatur fabula, variatis saltim personarum, temporum & locorum circumstantiis.* Nî soli melucem fœnerari vererer, plaustra exemplorum, quæ dicto fidem facerent, adducere, esset in proclivi. *Mithridates, Ponti Rex, quantâ crudelitate in Romanos, negotiandi causâ per Asiam dispersos, uno sævierit die, Florus III, 5. Plutarchus in Sulla, Val. Max. IX, 2. Vell. Paterc. II. 18. Freinshemius in Supplem. Liviani libri 78. prolixè ostendunt, simulq; cælorum numerum ad 80000, imò 150000 extendunt.* Huic autem sævitix, ex recentioribus historiis, *Templariorum extinctio, Vespera Sicula, Laniena item Parisiensis, & complura alia barbaræ diritatis exempla, respondent.* Gallorum nostrò infelici hõc ævò furorem omnes meritò detestamur, quæ tamen rabies haud prima est in nobilissimam *Alsatiam*, sed **ARMENIACORUM**, Gallorum in Germaniam expeditioni, ante duo, & quod excurrit, secula, susceptæ adeò convenit, ut unam ferè eandemq; paucis tantùm immutatis, utrobique quis deprehendat larvam. Hanc igitur ex antiqv̄is eruere monumentis, sedet animo. Tu DEUS O. M. his conatibus nostris benignam ex alto imperti gratiam, quam, **BENIVOLE LECTOR**, ut faventiæ tuæ comiteris favonio, est, quod obnixè rogamus.

§. I. Cùm *Philosophorum* testimoniò, ex nominis evolutione non rarò in interiora rerum perveniatur penetrabilia, in **ARMENIACORUM** enucleanda historia, ante omnia, de eorum nomine erit dispiciendum. Notum scilicet, potentissimum Gallix Regnum in multas, easq; præclaras, distinguui Regiones, ex quibus non ultima, quæ antiquis *Aquitania*, hodiernis *Vasconia* seu *Guascogne* audit. Celebris autem in hac, præ ceteris omnibus, Tractus **ARMAGNACENSIS**, fuorum olim Comitum, nunc Regum subjacens imperio. Horum Comitum quidam *Bernhardus*, intestinò illo & maximè arduò inter *Gallos Aurelianenses* & *Burgundos*, bellò, **CAROLI VI** Regis temporibus, eorum omnibus viribus tutabatur partes, (quam dein fidelitatem



*Burgundi*, A. 1417, in *laniena* quadam *Parisiensi*, interfectis ferè omnibus ARMENIACIS, cum Duce, tunc Connestablio, crudelissimè sunt ulti) cujus milites *Guascones Armagnacenses*, quòd Galliaè incolis maximo essent oneri, toti *Aurelianensium*, cui intererant, exercitui, infame ARMAGNACENSIVM, seu ARMENIACORVM dedere nomen. Ab illo itaq; tempore, cum haud infrequentes cum Ducibus suis Regum Galliaè mererent stipendia, evenit, ut Regii milites, ARMENIACORVM, ARMAGNACORVM & ARMENIACENSIVM insignirentur nomine.

§. 2. Vocabantur aliàs quoq; ANGLI, vel, quòd eorum patria sæpius difficulter Anglorum pareret imperio; vel, quòd *Anglis*, finitima Galliaè ora legentibus, mixtus esset Exercitus. Nec improbabili ratione *Zeilerus* colligit, in *Topogr. Gall.* interfuisse his *Armeniacis* quoq; infimam *Guasconiorum* fecem & pessimam homuncionum colluviem, CAPOTS seu GAHETS dictam, qui, ut *Abr. Gölniz. Ulysse Belg. Gall.* refert, maxima ex parte existimabantur leprosi, ideoq; à popularibus & consanguineis fugiebantur, arcebantur à frequentia & consortio hominum communi, occupabant suburbia, discriminati ab oppidis, cum interiùs laborarint morbo incurabili, & halitu contagiosissimi foetoris inficere alios, per cohabitationem, potuerint.

§. 3. Ex his aliisve nauci hominibus conflatum Exercitum Germani vocabant *die Arminiacken* / & disruptâ voce, *die Armen Zecken* / vel, à miserrima conditione & deplorando eorum statu, quales hodienum, per ludibrium, hoc veniunt diverbiò; vel, à misero eventu, quòd omnibus ferè præliis inferiores discederent. Helvetis audiebant *die Schinder* / quòd Germaniaè incolas, quoquò venerint, carnificum ad instar, maximis exactionibus & inauditis excruciant & tantum non excoiarent suppliciis.

§. 4. Plures autem unâ in *Alsatiam Anglo-Gallorum* occurrunt expeditiones, quæ, ne cum nostra confundantur, verbò veniunt recensendæ. Prima accidit circa A. 1365, quâ



quâ compositô inter Anglum Gallumve bellô, ad 40000 milites, qui ex raptò vivere asseverant, deprædatâ Galliâ, devenère in Alsatiam, eamq; ab incolis ferè relictam, crudelissimè vastarunt, & nullum non dirissimæ feritatis genus, nec sexus nec ætatis habitâ ratione, per integrum mensem, in illam exercuerunt; donec CAROLUS IV *Imp.* classicum inter Germanos caneret, quorum non expectato adventu, fugâ sunt elapsi. (vid. Prænobilissimi Dn. *Sigism.* à *Birken/ Spec. Austr.* III, 8.) Altera decenniô post contigit, dum *Engverranus*, Dominus de *Cousin*, maternam *Catharinæ* Austriæ à patre spretam ab Austriacis repetens dotem, 60000 militum cinctus, *Mömpelgardum* transgressus, igne ferrôq; in Alsatiam sæviebat, præcipuè, cum efflagitatum 60000 fl. sumam, 60 præterea pannos aurô intertextos, totidemq; equos minimè impetraret. Tandem Helvetiam ingressus, à *Bernatensibus* aliisq; aliquoties fusus, vestigia relegit. (d. l. c. 9.) Deniq; A. 1439. *Johannes* de *Vinstingen*, per viam Tabernensem, magno exercitu 12000 militum, in Alsatiam irrupit, sed post 14 dierum deprædationes, infestâ re, mille minimum suorum amissis, iterum discessit. Quas dictas expeditiones memorâsse sufficiat. Restat enim ARMENIACORUM in specie dicta, quæ hujus loci est propria.

§. 5. Ingens Sec. XV. inter HENRICOS V & VI Angliæ, & PHILIPPUM BONUM, Burgundiæ Ducem, ex una, & CAROLOS VI & VII Galliæ Reges, ex altera parte, exarserat bellum, quò felici admodum successu, tota ferè ab Anglis subjugata Gallia, ut nihil CAROLO VII præter Civitates à *Gyenna* usq; ad *Andegarum* ad fluvium sitas, esset reliquum; & cum jam in eo esset, ut *Aurelianensis* urbis expugnatione coronidem suis Rex Angliæ HENRICUS VI imponeret victoriis, id ei improvisò evenit, quod *Alexandro M.* accidere posse, supplices apud *Justinum* XII, 8. monebant milites. Scilicet, *Fortuna*, quam nimis onerando fatigaverat,



*repente turbare cœpit*, (Ea enim, dictante TIBERIO, Ann. I, 27. hujus est natura, ut *cuncta mortalium incerta, quantoq; quis plus adeptus, tanto magis sit in lubrico*) & Rex Anglus, non spe tantum potiundæ *Aureliæ*, sed totô Galliæ Regnô brevi ex- cidit. Fugatis etenim per *Joannam d' Arc*, animosam Fran- ciæ liberatricem, Anglorum copiis, post nubila Phœbus Gallis denuo affulsi. Hac itaq; rerum facie, cum de pace sancienda ultro citroq; frustra esset transactum, tandem induciæ ad octodecim conclusæ sunt menses, firmioris & diuturnioris mox insecutæ in Gallia pacis præludia. Factis ita induciis, aliud Galli quærebant bellum. *Tam enim est va- nitas nostra mutationum fertilis, ut vivere non possimus, quin aut malum patiamur, aut aliis inferamus*, satis probè Gallorum mo- res exprimit *Serranus*. Ne itaq; otiosus militum, flagitio- sissimis hætenus sceleribus deditorum, fervor, in graviora erumperet facinora; arma, cum nihil haberet, quod age- ret, in sua viscera converteret, & ita induciæ majoris ipsô constarent bellô, otii vitia negotiô discutienda, conjuran- dam hanc tempestatem, aliisve immittendam, è re sua, eleganti Politicorum stratagemate, (de quo pulcherrima Vir incomparabilis, *Christ. Forstnerus*, in plusquam aureis ad *C. Taciti A. I, 16. & Add. adh. l. Notis*, pulchrè tradit;) regni utriusq; censebant Proceres. Et hunc interni belli metum, unam ex præcipuis *Armeniæ* expeditionis fuisse causam, gravissimus Gallorum indigitat Historicus *Serranus*, in Vita CAROLI VII, quam neq; obscure innuit *Senens. Cardin. Æ- neas Sylvius*, præclarô de *Statu Europæ*, sub *FRID. IV Imp.* scriptô *Commentariô*, c. 39. dum ait: *Susceptam eam expeditio- nem, à securo jam domi Rege, ut Franciam, militaribus spoliis atq; in- cendiis diu agitaram, tantisper sineret requiescere.*

§. 6. Ut autem, quod in communi dicitur, *unius rei plures possunt esse causæ*; ita hujus quoq; fuisse expeditionis, depre- hendimus, quarum aliæ firmô, aliæ labili Auctorum ni- tuntur fundamento. Unam enim illam *valdè fuisse longin- quam,*



quam, nec sufficientem pro duobus Regibus, qui satis jam malorum sibi intulerant, ac ipso præcipue CAROLO, qui tot expertus calamitates, non sine horrore, nec ullâ lacesitus injuriâ, aliis inferre poterat, rectè observat Serranus, simulq; exponit, quomodo his nodis sui fuerint inventi cunei. Paucis eas ad lydium veritatis examinabimus lapidem; sic enim ille: Voluit CAROLUS Helvetios punitos, præcipue Basileenses, quòd Eugenio contra Felicem faverent, hoc est contra Amadeum Sabaudum, qui tot ei crearat molestias, quemq; nunquam amare poterat, quicquid etiam Politicâ conversatione simularet, & præcipue huic Provinciæ erat infensior, quod ea, præ reliqua Germania, Eugenio videbatur addictior. In quibus verbis, aut Serranum, aut interpretem ejus, esse lapsum, ex eo in aprico est, quòd Concilium Basileense jam A. 1439. d. 25. Julii, Eugenium deposuerit, & ejus loco Amadeum Sabaudie Ducem, nobilem Eremitam, FELICEM V dictum, 5. Septembris die, Pontificem elegerit, hocq; pacto Eugenio contra Felicem minimè faverit. Hac itaq; inversione integritati suæ restituendus fortè locus: Voluit Carolus Helvetios punitos, quòd CONTRA EUGENIUM FELICI faverent, hoc est Amadeo Sabaudo, qui tot &c. Et præcipue huic provinciæ erat infensior, quòd ea, præ reliqua Germania, FELICI videretur addictior. Cujus mutationis ratio vel ex eodem fuit Serrano, (ad A. 1422.) dum exterorum Principum in CAROLUM recensens affectus, Amadeum hunc Sabaudum, inter clandestinos Gallie Regis numerat hostes, & sequentib; dicit: Delphinum Portentum evertisse, ut ægrè faceret ejus Episcopo, vehementi contra Eugenium sollicitatori. Eandem etiam confirmat sententiam & expeditionis causam tribus à secretis Pontificibus, B. Platina, memorans in vita Eug. Delphinum ab Eugenio, belli plus justò cupido, in Basileenses concitatum, ut impetu ejus ille dissiparetur conventus. Platinae vestigia legit Jac. Wymphelingius, Rer. Germ. Epit. c. 51. dum dissolutionem Concilii factam fuisse testatur, tum peste, tum bello, quòd Eugenius Svitensib; & Basileensibus indixit per LUDOVICUM,



*CUM, CAROLI R. Francorum filium, quem Delphinum dicunt. Excipit hunc H. Mutius, Chron. Germ. de Germanorum prima origine, moribus, institutis, LL. & memorabilibus pace & bello gestis l. 78. qui Eugenium magnam summam pecuniæ ad disturbandum per Delphinum Concilium Basileense, expendisse, famam fuisse, refert. Consentit Paulus Æmylius, L. X. de rebus gestis Francorum, in Vita Caroli V-II, cum ait: Delphinus duxit in Basileensium fines exercitum, quorum in urbe Concilium etiam tum habebatur, Eugenio infestum. Sequuntur hos magnâ catervâ, Sebastian. Münst. Cosm. l. III, 107. Bernh. Herzog, Chron. Alsat. II, 60. Lehman. Chron. Spir. VII, 99. Cario, Chron. lib. V. Dn. à Birken Spec. Dom. Austr. V, 5. aliiq; complures.*

§. 7. Restant aliæ porrò hujus expeditionis causæ, quæ dictis comites possunt adjungi: prætenfa eorum scilicet recuperatio, quæ ad antiquum Franciæ pertinuisse dicebantur regnum. Innuit istam *H. Mutius & Dn. Sigism. à Birken* dd. ll. adserentes: non defuisse, qui Delphinum venisse dicerent, ut reciperet omnia, quæ ad Galliam pertinebant, usq; ad Rhenum. Obsessurumq; Argentoratum & alias civitates, in ea Rheni ripa, quam probabilem fuisse dicit *Mutius*, quòd urbes munimentis & militibus sibi prospexerint. Prostat etiam *Metensis Civitatis in Renati, Siciliae Regis, gratiam, cui peculiaris cum Metensibus erat inimicitia, Serr. d. l. intentata expugnatio. Imò referunt: venisse istum exercitum, Nobilium Alsatiae instigatu, contra confœderatos Helvetiorum, totumq; Imperium arma, quoq; fuisse sumpturum, quamprimùm Delphinus eos adgrederetur. Et sanè Münsterus in Cosmogr. d. l. Urstisius in Chron. Basil. Bernh. Herzog, Chron. Alsatiae, Abr. Göl nizius, d. l. & alii plures, toti sunt in eo, ut præcipuam belli hujus causam in SIGISMUNDUM, Austriae Ducem, & ipsum FRIDERICUM IV, qui tum erat Imp. Rom. rejiciant, quos Regem Galliae evocasse adserunt, ut factam Helvetiorum ab Austriacis defectionem castigaret. Id quod etiam literæ eæ, quas citat Urstisius V. 38. nisi ab hostibus forsan confictæ, videntur evincere.*





cere. Sed de *FRIDERICO Imperatore*, pacis per totam vitam maximè studioſo, quin idem credamus, adduci hætenus non potuimus. Non enim tantùm monitoriæ illæ literæ *Elisabethæ*, Galliæ Reginæ, ad *Jacobum Marggraviū Badensem*, & hujus ad *Imperatorem FRIDERICUM*, ferè contrarium testantur (quas vide apud *Dn. à Birkenſ* loc. cit.) sed & ipsa hæc calumnia, à *CAROLI* Legatis, in Conventu *Norico*, *FRIDERICO Imperatori* objecta, fulminante magnanimi Herois, *ALBERTI Marchionis Brandenburgici*, ob singulare Fortitudinis exemplum, *ACHILLIS GERMANICI* nomine insigniti, ore, defensivâ pro *Imperatore* Oratione, masculè fuit refutata & repressa, fatente interim ipsò *Imperatore*, se 5000 militum, & liberam eos in Gallia conducendi potestatem, à Rege efflagitâsse, nunquam verò adeò grandem tanti exercitûs molem. Accedit, quòd *Serranus* testetur: tantò *CAROLUM* ardore hanc fuisse complexum expeditionem, ac si vel ipsum regni sui Cor fuisset defendendum, quod in Austriacæ Domûs emolumentum factum, de ea non dici poterit corona, quæ semper gravissima, licet ut plurimum hætenus infelix, felicitis Austriæ extitit æmula, qua de re, dante Deo, commodior alibi dabitur dicendi locus.

§. 8. Ad ipsam nunc expeditionem rectò pergendum tramite. Contigit illa, A. Sec. XV 44. æstate, ubi lustratis in Burgundia copiis, & diversis procedere viis jussis, *Delphinus LUDOVICUS*, patre *CAROLO* cum comitibus, *Reinhardo Sicilia* Rege, Duce *Bary & Lotharingiæ*, in obsidione urbis *Metensis*, relictis, *Mömpelgardum* petit, Ducum *Württembergensium*, ejus lineæ, sedem, in *Alfatia* Burgundiæve finibus sitam, causam interferens: *Gubernatorem ejus*, durantibus *Francia* motibus, usq; ad *Ligones* excurrisse, re verò ipsâ, ut hanc urbem, sibi suove comitatui necessariû receptaculum, interciperet, quâ transactione occupatâ, *Portentrundq;* *Episcopi Basileensis* sede, dirutò, *Alfatiam* in-

B

gres-



gressus, amicum initiò simulabat, ne totius scilicet Imperii vires, primò in se irritaret impetu, simulq; cum quibusdam Alsatia Proceribus sancitò fœdere, de futuris illic prospiciebat hybernis, majora quidpe in animoolvebat, quam quæ unâ æstate confici posse speraret. Hinc *Basileam* versus contendit, ad quam, ceu destinatam belli sedem, d. 23. Aug. 1444. omnes ejus convenerant copiae, quarum numerum *Abr. Göln.* 60000. *Christ. Lehmannus* 50000 constituit. *Æneas Sylvius* omnem fermè militiam vocat *Gallicam*, plurimi plus minus 30000 numerant.

§. 9. Erat autem Urbs *Basileensis*, caput *Rauracorum*, Helvetis tunc temporis arctò adeò, quò hodiè, nondum adligata fœdere, (A. enim 1501. Fœderi demum adscripta) ambierat tamen eorum societatem, hinc de imminente certior reddita periculo, defensionis parare media, & Helvetiorum, qui in urbis *Tigurinae* castelliq; *Fabrenbach* hærebant obsidione, implorare auxilia. Ast illi, felicibus hætenus contra Austriacos successibus elati, *Armeniacos* altò contemnebant superciliò, primumq; *Basileensium* nuncium, audaciam eorum increpantem, confodiebant, non aliter, atq; olim *Darius Charidemum Atheniensem*, liberius de Persarum exercitüs splendore judicantem, capite jussit multari, ap. *Q. Curt.* III, 2. Alteri autem illudebant, *galeatum* vocantes *leporem*, cui nunc animus in pedes deciderit *imos*, quiq; *intra muros timore percelleretur*: at fatali suò post edocuère excidiò, quam verè *Seneca*: *Sequitur superbus ultor à tergo Deus. Viri enim fortis est, ut nihil timere, ita nihil contemnere. Liv. VI, 6. cum sæpe contemptus hostis cruentum ediderit certamen. Id. XXI, 43.* Interim, ne suorum viderentur desertores, ex castris ad *Fabrenbach*, *Basileensibus* 1600 fortissimos & ex omni juventutis robore viritim lectos, auxilio decernunt milites, qui ad 2000 tandem excreverunt. *Serranus* & *P. Æmyl.* tradunt, eorum 4000 fuisse, & *Bilibaldus Pirkheimerus, Norib. Cæs. Maximiliano* à consiliis, ultra 4000 fuisse adserit.

§. 10.



§. 10. Hæc itaq; manus, mirabili pugnandi flagrans cupidine, primò impetu, Ducem quendam Gallorum, Comitem à *Damp Martin*, trucidatis 40 eorum, ad reliquas trans *Birsam* fl. fugabat copias, ubi *Delphinus*, de Helvetiorum monitus adventu, omnes, quâ transire possent, occupabat vias; quò nequicquam hi territi, castra primò ad pagum *Mutis* munierunt, quorum hodiernum conspici ajunt residua. Inde urbem adpropinquantes, nec *Basileensium* per quendam *Fridericum* à *Strasburg*, de præsentissimo periculo factis monitis, nec ipsorum Ducum ardentibus detineri potuerunt dehortationibus, quin hostem vi statuerent perrumpendum. Impetu ergo in *Armeniacos* summâ vi factò, magnam inter eos edidere stragem, non paucis tamen etiam suorum desideratis, qui *Birsam* transnare, & in altera ripa pedem figere, incredibili conabantur nisu, siquidem ex quorundam relatione, ad 600 istâc ab *Armeniacis* trucidati invasione, triste sociis spectaculum & futuræ cladis reliquere præfagium. Nihilò tamen minùs virtus, cui nulla in via est via, *Tac. Agr. 27.* & quâ omnia expugnabilia, *Ann. XII, 35.* hic etiam monstrabat transitum, & fluviò jam trajectò, 500 ab urbe distabant passibus, ubi in aperta planicie, inter urbem & domum leproforum, *S. Jacobi* omnem *Armeniacorum* aciem ad prælium invenere compositam.

§. 11. Condonandum hîc omninò fuisset *Helvetiis*, si conspectò innumerò hujus exercitûs numerò, animos despondissent, & hastas abjecissent, quidpe quorum vires ex arduo prælio, & quæsito fluminis transitu, erant exhaustæ; verum, si ullis aliis desperatio, his certè vires & spiritus addidit feroces; necquicquam enim fracti animis, densissimos istos cuneos manus hæc adgredi, dissipare & prosternere ausu tentabat plus quàm temerario. Non loci ipsis favebat commoditas, sed *æquis locis æqui erant Dii*, *Tac. Ann. I, 68.* nec aliud suppetebat consilium, quàm






fortiter præliando & honestè occumbendo, suam, posterorumq; gloriam propriò purpurare sanguine. Omnibus ergo, quæ poterant, viribus, armis contendere, hostem pellere, medias acies involare, quasi iratos leones sternere & dissipare hos vidisses Svitenfes, non latum recedunt, unguem, à recentibus semper laceffiti hostibus, sed vulnera intrepidis excipiunt pectoribus eaq; plurimum rependunt cæde. *Basileenses* interim, cum ad extrema deducta hæc sibi destinata vident auxilia, lectissimos quosq; ex omni civium militumq; turba, in hostem educere parant, fatali socios erepturi discrimine; sed portâ vix egressi, structis à *Delphino* & *Armeniâ* ex speculis & turribus observatis insidiis, quibus latius progressi fuissent irretiti, vigili Consulâ curâ, ex imminente agrè retrahuntur periculo, sibiq; & urbi servantur, suscepto tamen præpediti auxiliò. Tum quibus omnis evadendi spes evanuerat *Helvetii*, vires colligebant reliquas, & occupatâ *S. Jacobi* æde ac leproforum domo, hostium insultus, maximò fervore, irruentium, intrepidò sustinebant animò, proximum contiguo hortu murum occupabant, pone quem, quod eorum erat residuum, mortem pugnando oppetere ducebant gloriosum.

§. 12. Hinc *Armeniâ*, ut manum hanc conciderent, admotis tormentis quatuor majoribus & arietibus, murum continuis concussere ictibus, perq; hiatus & ruinas, binis irruere tentantes vicibus, toties à Svitensibus repelluntur. Sed cum *ne Hercules ad-versus duos præ-valeat*, nec hic manipulus tantis resistere sustinuit copiis, novis enim semper à *Delphino* adductis auxiliis, non tam victi, quam vincendo defatigati Svitenfes, omnes ferè, sed non inultâ cecidèrunt morte, siquidem paucissimi ex iis fugâ elapsi, variante Auctorum memorantur calculò, namq; *Christ. Urstisius, Chronici Basileensis* excellens conditor 16 eorum recenset, vel pauciores, qui domi pro transfugis habitati,  
de






de capite periclitabantur. *Mutius* unum tantum memorat, qui in primo congressu manserat inter falices, nescio quâ impeditus causâ, de quo domum redeunte, ceu defertore, capitis sumptum narrat supplicium. Cæforum *Svitensium* numerum *P. Æmilius* facit 4000, alii 2000. *Bernh. Herzog* ad 1500, qui singuli ad *Armeniacorum* trucidatorum collati numerum, juxta *Mutium*, 7 aut 8 in necem rapuere hostium. Ipse sanè *Serranus*, ex Germanorum recenset historiis: *ultra 5000 suorum fuisse desiderata, manente tamen penes Gallos victoriâ*. Rectius plurimi 8000 & inter illos, maximæ auctoritatis viros, præcipuos *Armeniacorum* Duces, & quatuor periisse narrant Comites, adeò quidem, ut *Delphinus* ulterius in *Helvetiam* movere non tentaverit, publiceque fuerit conquestus: *sibi maximi isthanc constare victoriâ, cujus poenitere tanti emere neutiquam deinceps amplius desideret*. Suo sic didicerat malò: *hostem ad desperationem non esse adigendum, ne spe melioris fortunæ exclusus, etiam mala timere desinat*, sed potius *Scipionis* sententiâ, *viam istis, quâ fugiant, muniendam*, & ut *Italorum* habet proverbium, *argenteum pontem faciendum*. Vid. *Forstn. Notis ad Tac. A. II. 15.*

§. 13. Celebrant & tantum non æternis ad fydera extollunt laudibus insigne *Leonidæ* & *Spartanorum* fortitudinis exemplum *Herodotus*, *Strabo*, *Ælianus*, *Valerius M. Pausanias*, *Plutarchus*, *Justinus*, *Orosius* & alii, qui defensis contra *Persarum* numerosissimum exercitum *Thermopylarum* angustiis, victores tandem nusquam honestius, nisi in ipsis hostium castris, post ingentem editam stragem, perire, duxerint. Verùm non soli hâc virtute gloriantur Græci, eadem certè, ni majora illis edidere specimina *Svitenses* Germani, quippe queis non cum molliculis & delicatis *Persis*, vinò somnòque sepultis, sed cum atrocibus, diutinò bellò exercitatis, & armorum peritiâ claris, omnique occasione maximè intentis *Gallis*, res erat. Certè nemo non obstupescit, si stupenda & heroica prorsus ho-






rum *Svitenſium* legit facinora. Refert enim *Aeneas Sylvius, de Statu Europæ*, c. 36. it. *Joh. Ravius* in *Cosmographiâ*, ſub deſcriptione Helvetiæ, ex *Hedion. Chronico*: quòd plures ex illis, hoſtium jam perforati lanceis, & cruentis ex vulneribus extractis ſagittis, ad obtruncandum hoſtem, per medias baſtas dilapſi, vindictam accepti expetierint vulneris. Recenſet ſimile *Urſtiſius*, quòd 4 *Armeniaci* unum Helvetium terræ allium ferè obtruncârunt, quòd, cùm quidam ejus ſocius conſpexiſſet, bippenni ſuâ, acceleratò adfuit grefſu, duos illorum interemit, reliquos aëtutum in pedes conjecit, & exanimem ferè Helvetium humeris ad ſuos reportavit, dignus certè, qui civicæ coronæ, ad antiquorum Romanorum exemplum, maëtetur honore. Imò fidem ferè ſuperat, quòd ex *Urſtiſio* aliisq; *Dn. à Birken* recenſet: Quendam ſcilicet nobilem Auſtriacum, *Bernhardum Mönch* dictum, qui *Armeniâ* viæ Dux in Helvetiam fuerat, finito jam præliò, inter cæſos obequitaffe *Svitenſes*, oculos eorum delectaturus ſtrage, lætumq; in hæc prorupiſſe verba: *En hodie inter roſas & ſua veolentia verſamur lilia!* vernaculò ſermone: *Heut baden wir in den Roſen*: quòd, cùm quidam inaudiſſet *Svitenſis*, ultimum jam ducens ſpiritus, omnibus, quas habebat, in unum convocatis viribus, genibus incumbens, tantâ vehementiâ lapidem proximum vultui ejus impegit, ut ſemianimis equò dilapſus, deſtitutis omnibus mox ſenſibus, tertiâ poſt die, animam efflaverit; in quem aptè cum lapide ſimul videtur involâſſe illud *Ascanii* cum ſagitta in *Remulum* jaëtum, *Virg. l. IX, Aeneid.*

*I nunc! & verbis virtutem illude ſuperbis.*

Eleganti admodum icone, totam hanc tragediam curioſis expoſuit oculis, *Germanicus Auſtriacæ Domûs Svetonius*, *Dn. Sigism. à Birken* dd. ll. additis inſuper acutiſſimis duobus Latinâ, & vernaculâ Lingvâ Epigrammatibus, quæ adducere operæ omninò putavimus pretium, dum ita canit:

Ce-





*Cedite, Thermopylae! Basileam pugna celebrat  
Martia: Germanis cedite, Grajugena!  
Hic major virtus, minor ut sit calculus: hostis  
Gallus atrox armis, Persa ibi mollis erat.*

Schweiget von Thermopylien/ o ihr Griechen! weicht den Deutschen/  
sie sind Männer/ deren Faust auch kan auf die Feinde peitschen.

Hier/ ob schon die Anzahl kleiner/ doch die Tugend größer war:  
scharf hier fochte der Franzosen; dorten blöd der Perser Schaar.

§. 14. *LUDOVICUS Delphinus*, cujus ita vires haud parum fractæ, cum *Basileensibus*, Concilii interventu, d. 13. Sept. de securitate ultrò citroq; dandâ, transegit, mox impetratâ certâ pecuniæ summâ, pacem cum urbe & *Helvetiis* ad 20 pepigit annos. Hinc in *Alsatiam* reduxit exercitum, quò innumeris modis deficientem reficeret, complures ejus urbes, vicos & pagos dolò & vi cepit, nulli tamen pactam incolis securitatem planè præstitit, quin potius tam barbarum se cum suis exhibuit, ut paucis id describi nequeat. Verbò, nullum extremæ diritatis vel cogitari potest genus, quod in miserrimos nobilissimæ Germaniæ *Tempe*, *Alsatia*, incolas *Armeniacci* non evolve- rint, prædando, cædendo, vastando quævis, nec sacris nec profanis, nec publicis, nec privatis parcendo locis. Non sexûs, non ætatis habebant rationem, sed immanis- simam *Scytharum* barbariem, & plusquàm beluinam sæ- vitiam, multis post se relinquebant *parafangis*.

§. 15. Motus tantis Imperii suorumq; in *Alsatia* subdi- torum miseris, gloriosissimus *Imperator FRIDERICUS IV*, quem pro *III* communiter, sed falsò habent, *unam in armis* censet salutem, sed ea consiliò temperanda, *Tac. I. 67.* hinc *Norinbergam Principibus Imperii* indicit Comitia, Legatos *Delphini* 14 Sept. die audit, & quid è publicâ Imperii re sit, cum *Proceribus* deliberat, ubi per generale conclu- sum decernitur: *Armeniacos Gallos* coadunatis totius Ger-  
ma-



maniae viribus, Imperiò esse expellendos. Præficit huic expeditioni *Imperator*, ob exactam rerum militarium scientiam, *Ducem Generalem, LUDOVICUM, Electorem Palatinum*, utq; proximò post *Martini* festum, die, singuli suis ei ad *Spiram* præsto sint copiis, edicit. Ut tamen, qui pacis erat amantissimus, & humani maximè parcus sanguinis, omnia pacis tentaret media, quidpe, *cujus artibus imperia* sciebat *diuturniora, quàm belli*, ex iisdem Comitibus, *Serenissimos ad Delphinum* destinat *Legatos, ALBERTUM, Austriae Archiducem*, Germanum suum, *ALBERTUM Marchionem* & post *Electorem Brandenburgicum*, quem *Imperatoris FRIDERICI os & linguam* tutò adpellare possumus, cum in publicis *Imperii* conventibus per Eum præcipuè ceteris proponi voluerit *Statibus*, quæ Reip. videbantur necessaria; *JACOBUM* porrò *March. Badensem, & ULRICUM, Comitem Würtembergensem*. Qui *Serenissimi Legati*, impetratis salvi conductûs literis, inter *Brisacum & Ensisheim, Delphinum* convenientes, sua expedière mandata, irritò tamen eventu, quidpe *Delphinus* eorum nec precibus nec hortationibus & comminationibus motus, in *Alsatiâ* fixus hæsit atq; permansit. Ex barbari enim *Ibraimi Bassæ* non barbaro judicio, *Germanorum consilia & actiones similes* sciebat *belluæ multorum capitum, quæ dum sepem transire conaretur, capitibus quibusq; diversum foramen quærentibus, universò corpore maneat immota*. At licet de *Recessu Norico* optimè ei constaret, sperabat tamen, effluituras inter moras & cunctationes, inveterata Germanis vitia, & illorum saluberrimè decretorum executionem, & rei gerendæ occasionem. Quæ quidem opinio eum haud fefellit. Reverso enim in *Austriam Imperatore, Status* in mittendis cunctabantur copiis, aliis impliciti difficultatibus. Nihilò tamen minus *Serenissimus ALBERTUS Marchio*, cum paucis aliis, nullum non pro extinguendo exitioso hoc Germaniæ incendio, movebat lapidem, *LUDOVICO Ele-*  
*tori*





*Fori & Imperii* nuncios *Legato*, quæ apud *Delphinum*, nomine *Imperii* egissent, simulq; ad indictum à *Delphino* in *Rosheim* transactionis diem comparet, cui tamen neq; *Delphinus*, neq; ejus nomine quis alius intererat.

§. 16. *Moguntia* interea repetita *Imperii* Comitia, *Noricum* denuò confirmabant *Recessum*, utq; *Status* quàm ocyssimè copiis suis salutem promoverent Patriæ, hortabantur, obsecrabant, imperabant. LUDOVICUS quoq; *Elector* per omnia orabat sacra, ut tandem conjunctis manibus & sociatis armis, hostis Germaniæ pelleretur solio; Verùm, quod junctis Germanorum viribus, expeditu fuisset facillimum, distractis eorum animis, in fumum abiit. Quid autem, ne salutaris adeò in effectum deduceretur, expeditio, obstiterit, colligant Prudentiores. Hyemis quidem subeundo huic negotio iniqua planè tempestas Germanicum non parùm detinuit robur, quò minùs suâ virtute, hostem è Patriæ pelleret & ejiceret finibus.

§. 17. Dum itaq; publica Statuum morantur auxilia, privata quorundam, eorum scilicet, quorum *proximus ardebat Ucalegon*, & quibus *Hannibal ad portas*, conveniunt. LUDOVICUS scilicet *El. Argentoratenses*, aliive, eductis in hostem copiis, exiguis quidem, sed causæ probitate fretis, hinc inde non parùm ejus debilitabant vires. Dum enim *Alfatia* agros, longâ pace divites, securius populabantur *Armeniaci*, & prædæ dulcedine, sine insidiarum metu palantes *Delphinus* haberet milites, similem cum *Atheniensibus*, in *Asia* olim victoribus, experti sunt fortunam, quos securos repentinò *Lacedæmoniorum* adventu oppressos memorat *Justinus V*, 5. Hinc inde enim clades à Germanis perpetiebantur, & ferrò petiti, fugam priùs, quàm corporis meditabantur defensionem, *Helveticâ* edocti victoriâ, quàm periculofum sit, crabrones in se irritare, clavamq; extorquere *Herculi*.

§. 18. Tandem cum *Ulma* alibiq; *Status Imperii* acrioribus





bus intenti essent consiliis, & hostem, suâ cunctatione ferociorem, summis expellere meditarentur nisibus, *Treviris* Legati *Gallie Regis & Delphini* comparuere, ubi de pace ineundâ actum. Et quanquam *Armeniacorum* difficiles se præberent Duces, quòd tamen paratiores nunc ad expeditionem Germanorum viderent animos, àque Legatis audirent, nisi quàm primùm relictâ discederent Germaniâ, eam totam in armis futuram, nec expulsionem hostis solum fore contentam, sed & eundem insecuturam, & provocationis pœnas sumturam, nunquam enim Germanos impunè hætenus laceffitòs, mitiores se exhibuerunt. Inita igitur *Trevirorum* in urbe pax, & ab utraque parte, d. XV. Febr. confirmata, his præcipuè conditionibus, ut *Armeniaci* usque ad diem XX Martii, in Alsatia hærent terris, ob negatam prius hyemis intensitate abeundi facultatem, ex quo, nullò amplius illatò damnò, restitutis, quæ occupaverant, castellis, urbibus, vicis pagisque, ad sua recederent, & captivos, sine solutionis pretio, dimitterent. Cujus delineatæ pacis copiam exhibent, *Bernh. Herzog, Chron. Als. II, 60.* & alteram, ejusdem tenoris, ex parte *Regis Gall. & Delphini, Dn. à Birken. dd. II.*

§. 19. Sancitâ ita pace, & constituti temporis elapsò articulò, inviti quidem linquebant *Armeniaci* Alsatiam, quæ, ne talionis legem omninò effugerent, pessimi hi furis homines, in discedentes, quicquid ferendorum erat armorum, incitabat. *Argentoratensis* cum primis miles, non unâ vice, magnam inter illos edidit stragem, qualem etiam apud *Leberthalenses* sunt experti angustias, ubi & militum & prædæ haud exiguam relinquere copiam, & vitæ suæ fugâ consulere jubebantur. Imò ipsis fatentibus Ducibus, hæc expeditio ad minimum 10000 militum numerò, *Comitibus, Dominis & Nobilibus* minimè computatis, constitit, quæ certè jactura fuit gravissima.

§. 20. *Hæc itaque modò periculosa hæc dissipata fuit nubes,*  
in





*in diversas se exonerans plagas, quemadmodum grando quaedam in maturas incidens fruges, nullâ post se relicta re memorabili, præter insigne temeritatis exemplum, bellô susceptô non necessariô, aut extremæ iniquitatis, adflictis scilicet, absq; ullâ causâ, populis quietis, nec quicquam hostile aut meritis, aut expectantibus. Elegantissimô hoc & domesticô Serrani epiphonemate, hanc de Armeniacis meritô concludimus expeditionem.*

§. 21. Restaret nunc, ut cum nostrorum temporum dira iniquitate eam conferremus, quod nullô fieri posset negotiô. Vix enim ovum ovo, aut lac lacti adparet similis, quàm nostro huic ævo illa. Quis enim nescit, quàm temerariô ausu Galli, jam ab A. 1673 in Germaniam irruerint, quàm barbaræ ac plus quàm Armeniacæ feritatis exempla ac tot tristia hinc inde reliquerint spectacula, quàm horrendis Alfatia, horti Germaniæ proh! hætenus amœnissimi, & Rheni accolarum Provinciarum prædationibus, quàm diris maximarum & pulcherrimarum, imò arte & naturâ munitissimarum urbium direptionibus & everfionibus, quàm cruentis tot innocentissimorum hominum cædibus se foedârint & turpiter contaminârint? Loquuntur id hodiè tot sine parentibus vagi liberi, conqueruntur tot sine compari conjuges, clamant tristia funera, vociferantur stupenda rudera, mœstissima toti Germaniæ & omni, si qua futura est, posteritati, execranda Gallicani furoris testimonia. Cum autem singulari divinâ gratiâ, Augustissimum Imperii Caput, **LEO-**

**POLDUS**, leoninâ & intrepidâ mente, cum omnib<sup>9</sup> ferè membris, sat amicè hætenus conspiraverit, in alteram inclinantiâ partem ad debitam fidem reduxerit & obfirmaverit, illaq; ipsa officia sua, eâ, quâ par est, devotione, provido huic Capiti sedulò exhibuerint, omnimodam horum Armeniacorum è solo Germaniæ ejectionem, proximè speramus. Quam ut divina Bonitas clemētissimè mox indulgeat, calidis, ex ima pectoris abyfso, ingeminam<sup>9</sup> votis:

**TeVtonis pacem Da terris his, ple IesV,  
FLoreat In patriâ, Io! sine fine qVies!**

*Dum*



ART 5252  
\* \* \*  
**D**um veterum libros versas, dum scripta recentum,  
publica dum scandis pulpita lucis amans,  
Is rectam, **DILECTE**, viam, quâ **TE** quoq; tolles  
terrâ. nam studiis gloria vera venit.  
Perge sequi **FRATREM**, Pollucis luce micantem,  
Castore Tyndarei **TE** gemini novi erunt!

Doctissimo Domino Respondenti, præclara admodum mi-  
nanti, paucis hisce, prolixum intemeratumq; affe-  
ctum testaturus, applaudere voluit

M. Jo. Christophorus Laurus, P. P.

**G**allica mirantur, rimantur Gallica multi,  
Gallica, quæ nostris sunt odiosa locis.  
Causa subest odii. Compluria signa furoris  
Gallus edit dirus dura, legenda diu.  
**ARMINIACORUM** sub factis Gallica narras,  
Tollat et hæc, eadem qui tulit Alsatia!

*Fratri Germano*  
gratulabundus ita adplaudebatur  
**PRÆSES.**

**Q**uò tandem eveniet patientia nostra? quousq;  
Teutonicas rapiet Gallus inultus opes?  
An toties impunè tuos Alsatia campos  
tam nitidos hostis dilacerabit atrox?  
Quorsum proripuit tua se, Germania, Virtus?  
Quò ruit antiqui deniq; Martis honos?  
Siccine Germanos, quod erant Majoribus olim  
Galli, jam fieri, turba misella Virum!  
Ludificamur eis, quia ludimus. Inde q; noster,  
Quæ quondam Gallus, nomina miles habet,  
At tibi, *Layrizi*! fraternæ haud impiger artis  
sectator, nomen surget in orbe novum.  
Maeste istò studiò priscum revocare vigorem  
Virtutis, quæ mox præmia digna dabit.

Propensi Affectûs tesseram hæc esse voluit

*M. Joachimus Henricus Hageni Eloquent.*  
*Poes. & Mathes. P. P.*

**FINIS.**



G.K. 375, 4.

X 190  
EXI

ARM



JO. GE  
Illustris,  
florete, Colleg  
Histo



*benivola*

Jo. Chris

IS,

RIZ,  
orum  
INI,



am,

iensis,



Kodak  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches  
Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

